BAC Et osp hic est sequimini. HIC Ducite nos quo lubet tamquam quidem addictos.
BAC Lepide ipsi hi sunt capti suis qui filiis fecere insidias; ite.
Hi senes nisi fuissent nihili iam inde ab adulescentia
Non hodie hoc tantum flagitium facerent canis capitibus.
Neque adeo haec faceremus, ni antehac uidissemus fieri.
Ut apud lenones riuales filiis fierent patres;
Spectatores uos ualere uolumus. et clare adplaudere.
EXPLICIT PLAUTI BACHIDES.

INCIPIT PLAUTI MOSTELLARIA.
Manu misit emptos suos amores philolaches
Omnemque absente rem suo absumit patre.
Senem ut reuenit ludificatur tranio
Terrifica monstra dicit [illegible] in edibus.
Et inde primum emigratum. interuenit
Lucri peta fenus fenerator postulans.
Ludosque rursum fit senex. nam mutuum
Acceptum tum dicit pignus emptis edibus.
Requirit que sint. ait uicini proximi.
Inspectat illas. post se derisum dolet.
Absui sodale gnati excorator tamen.

GRUMIO. TRANIO. SERUI. II.
GRU. Exi e culina. sis foras mastigia.
Qui mihi inter patinas exibes argutias.
Egredere herilis pernicies ex edibus.
Ego pol te ruri si uiuam ulciscar probe. t culine
Exi inquam nidore cupinam quid lates.
TRA Quid tibi malum hic ante edis clamatiost. (t as)
An ruri censes te esse. abscede ab edibus.
Abi rus. abi directe. abscede ab ianua.
En hoc uolebas. GRUM. Perii. qur me uerberas
TRA Quia uiuis. GRU. Patiar. sine modo aduenit senex.
Sine modo uenire saluom quem absentem comes. t comedis
TR Nec ueri simile loquere nec uerum frutex
Comesse quemquam ut quisquam absentem posset.
GRU Tu urbanus uero scurra. delitiae popli.
Rus mihi tu obiectas. sane hoc credo tranio
Quod te in pistrinum sis actutum tradier.
Cis hercle paucas tempestates tranio
Augebis ruri numerum. genus ferratile.
Nunc dum tibi lubet licetque pota perde rem.
Corrumpe herilem adulescentem optimum.
Dies noctesque bibite pergrecamini
Amicas emite. liberate. pascite
Parasitos. obsonate pol lucibiliter.
Haecine mandauit tibi quom peregre hinc iit senex.
Hocine modo hic rem curatam offendet suam
Hocine boni esse officium serui existumas
Ut eri sui corrumpat et rem et filium.
Nam ego illum corruptum duco quom his factis studet.
Quo nemo adaeque iuuentute ex omni attica
Antehac est habitus parcus nec magis continens

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_1615/0176
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG